

189

187

193

183

198

178

238

138

288

088

Ende

Anfang

174

investigatores essent, et miraculum videre ne cuperent, quia nec in Jerusalem in sanctissimo sepulchro Domini visuri essemus miraculum, quanto minus hic quaerere deberemus. Hoc autem ideo dixi, quia satis rara et insolita de illa cruce audivimus, quae ibi viderentur. Accepi ergo post haec accensam candelam ad manus, et transivi ad locum crucis, et sequebantur me fratres mei peregrini: et capellanus comitabatur me. Dum autem ad locum venissemus, patefecit capellanus locum, ita quod crucem sanctam in prospectu coram oculis habuimus. Ego ergo primus accessi et crucem deosculatus fui, eamque diligentius ante et retro perspexi. Deinde accesserunt socii mei, eam honorantes, et diligenter considerantes unus post alium. Est autem crux satis magna, ab anteriore parte argenteis laminis deauratis obtecta, sed in parte quae respicit murum, nuda est, de pulchro et sano ligno, ac si esset cypressus. Et dicunt, quod sit crux Dysmae, latronis dextri, cui Dominus Jesus in cruce promisit paradysum. Nam sancta Helena, dum tres invenisset cruces sub monte Calvariae, unam crucem, scilicet Gesmae, sinistri latronis, abjecit. Secundam crucem, Dysmae, sibi retinuit. Tertiam vero Christi crucem toti mundo honorandam exhibuit. Crucem ergo suam Dysmae integrum in montem hunc de Jerusalem adduxit, et hic monachorum monasterium construxit magnum, et ecclesiam, in quam crucem hanc tanquam singularissimas reliquias reposuit, et juxta altare in muro habitaculum sive reservaculum sibi construi fecit: eamque illac posuit. Et ibi usque nunc stat irremota, quamvis ipsum monasterium dudum sit per Turcos et per Sarracenos funditus eversum, et monachi ordinis S. Benedicti, cultores loci, sint dispersi. Porro mirabilis est hujus crucis positio sive locatio in loco. Stat enim in fenestra, non perspicua ipsa crux; et ambo brachia ejus sunt foraminibus in muro factis immissa, et pes crucis foramini fundamenti est immissus. Sunt tamen foramina brachiorum et pedis magna, ita quod non est proportio eorum ad foramina, nec tamen tangit murum, sed libera et soluta est ab omni parte a contactu muri; et hoc est mirabile famatum de hac cruce, quod sine fulcimento pendeat in aere, et cum hoc stat ita firmiter, ac si solitissimis clavis esset affixa, vel muro connexa,

